

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 9. (*Neovidensis* 1806. Nro. 91.)

---

*Ex Campis Elysiis colloquium Politicum vita  
functorum.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 24 Jan. 1806 (*Neov.* 7 Jan. 1806.)

---

Nostri sapientiores, qui anseres jecuris boni-  
tate novere, quod fertilibus in magnam  
amplitudinem crescit; ficis pastum je-  
cur. Plin. l. 10. c. 20.

---

Colloquentia animalia Anser, & caniculus.

*Caniculus.* Heus, salve amita! vehemen-  
ter gratulor, te huc advenisse. Recordabe-  
ris me eundem esse, quem pulcherrima ma-  
trouarum, sæpius aulam adiens manibus gesta-  
bat, ubi tu gingriebas, vel me aliquantulum  
latrantem, exsibilasti.

*Anser.* An te noscam? te catellum de gre-  
mio meæ heræ, te parvum Figaronem?

*Caniculus.* Hem! Quomodo factum, ut tam mature e vita excesseris?

*Anser.* Hoc tu in quæstionem vocas? An nescis, singulis Martini diebus nos anseres horrida clade affici, & quidem magis horrida, quam fuerit Ulmæ, atque in aliis hujus belli conflictibus, ibi enim multi in captivitatem tantum venerunt, in bello autem anserino omnia minantur internecionem.

*Caniculus.* Martinus videtur esse homo omni dicitate deterrimus.

*Anser.* Erras, dilecte Figaro. Martinus est numero sanctorum adscriptus, cujus memoria hodiedum sancte recolitur, carnificinæ nostræ ille nulla est causa.

*Caniculus.* Quid ergo commisistis vos anseres, ut dies Martini sit vobis adeo nefasta?

*Anser.* Hæc res repetenda venit a pia consuetudine: Veteres notabant anni tempora, & præcipuas ejus epochas nominibus sanctorum, vel dierum dominicarum, cuilibet contractui, alterive conventioni inseruerunt nomen diei dominicæ, vel sancti, qua illam celebrarunt. Sanctus Martinus fere initium occupat mensis Novembris in Calendario, quo tempore, cessantibus agrestibus laboribus, Patresfamilias in calculum vocant fructus, & lucrum anni, sæpe etiam solvunt censum, & ut ferme ubique consuetum est, novi ineuntur contractus; potissimum tamen ea de causa memorabiles sunt hi dies, quod in plerisque locis concilientur matrimonia in bachanalibus dein contrahenda. Conveniunt familiæ,

Materfamilias oppiparum apponit convivium, & quæ avis potest splendidius ornare mensam civilem, quam bene saginatus, & ad auri fulgorem assus anser? Cum itaque dies S. Martini alias fuerit sollemnis, delectus est idmodi usibus, & convivis anser appositus. Et hæc est origo Martiniani anseris.

*Caniculus.* Hæc dies sicut jucunda est hominibus, ita tristis anseribus.

*Anser.* Recte observas; Quod olim in nuptiis Parisinis, vel vesperis siculis, idem nobis accidit illa die. Ingredere tunc quemcunque locum, & aures tuæ replebuntur lamentis, atque ejulatu innumerorum anserum.

*Caniculus.* Profecto vos anseres commiseratione estis dignæ. Nostrum vigilans caninum genus tales vespas siculas non habet metuendas.

*Anser.* Quid, vestrum vigilans genus? Non puto, ut vestram vigilantiam cum nostra velis comparare. Nos in utramque aurem nunquam dormimus, sed vigilias agimus, quod ex nota Capitolii historia clarum est, quamprimum enim vel levissimum audimus strepitum, confestim clangimus.

*Caniculus.* Sed unde est, ut in proverbium abierit vestra stupiditas? Stupidus anser!

*Anser.* (*Ringitur, more serpentis sibilans.*) Tantam injuriam a catello non expectaram. Quam eximium ergo est tuum ingenium, tu pigra, effæminata, quadrupes bestia? Nos utique stupidi anseres audimus, quod nullis

simus a natura instructi armis, nos tantum saginamur, ut occidamur.

*Caniculus.* Pone iram, clamosa amita! mordere te non cogitabam.

*Anser.* De utilitate autem, quam adferimus, nihil dicitur, de epulo, quod die Martini praebemus, nulla fit mentio. Ubi est avis ita utilis, ut anser? Plumis nostris tanta inest vis elastica, ut quantumcunque comprimantur in lecto, iterum assurgant: Adulterior, & bene pastus anser potest singulis 7 hebdomadibus in ventre, dorso, & sub alis pervelli, quantum lucrum! Caro nostra non eget buccinatore, se ipsam ad satietatem commendat die S. Martino sacra. Quid dicam de nostro jecinore, quod jam Romanis suavissimum fuit gulæ irritamentum:

*Caniculus.* Insignia hæc sunt! ingrati tamen homines vos hebetes compellant.

*Anser.* Quare discito ab exemplo hominum beneficii immemorum capere doctrinam: Sæpe stupidus plus prodest, quam doctissimus. Possem hoc accomodis, & communibus probare factis.

*Caniculus.* Grates pro data doctrina; nos illam nunquam sequemur, Astutiam. —